

temporibus possidendum titulo eo, quo praedicti de Cottowe a nobis possiderunt videlicet pheodali. Et si forte temporibus succedentibus praedictus Johannes vel sui heredes eadem bona vendere affectarent, nobis primo ipsa bona venalia debent exhibere, et si emere non possemus nec vellemus, annuimus ut alteri vendant cui possint, dummodo nobis esse placitum videatur. Ne autem alicui de hoc dubium poterit suboriri, praesentes litteras conscribi fecimus et nostri maioris sigilli robore roborari. Actum et datum Nussin anno domini M^o.CCC^o.XXXVIII^o. in die Walpurgae virginis praesentibus testibus subnotatis, videlicet honorabilibus viris dominis Nicolao de Gana archidiacono Nisicensi, Thiczmanno plebano in Mogelin, Nicolao plebano in Nussin, et strenuis viris dominis Friderico de Maltitz, Petro de Slinycz, Johanne de Maltycz, Rollone nostro fideli ac aliis pluribus fide dignis.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden mit dem Siegel des Bischofs an einem Pergamentstreifen.

No. 428. 1338. 7. Mai.

B. Withego II. erklärt einen Streit dreier Vicarien der Domkirche mit den Brüdern Jo. u. Dietr. von Schonenberg wegen Zehnten zu Gunsten der Ersteren entschieden und den streitigen Zehnten mit Zustimmung des Capitels den genannten Vicarien und deren Nachfolgern zugeeignet zu haben.

Nos Withego dei gratia ecclesiae Misnensis episcopus universis in perpetuum litteris praesentibus volumus esse notum, quod diversis querelis motis et habitis per discretos viros Al. Heckardi, Tho. et Pe. de Tammenhain vicarios nostrae ecclesiae praefatae in iudicio pro VI sexagenis manipulorum episcopalium utriusque annonae contra strenuos milites Jo. et Th. fratres dictos de Schonenberg, tandem in nos et in honorabilem virum dominum Apetzonem decanum nostrum compromissum fuit de eisdem manipulis in omnem eventum, ut quicquid de ipsis ordinarem, partes hinc inde ratum tenere deberent cum effectu. Qui deliberatione matura habita concorditer iussimus, quod dicti de Schonenberg praefatis vicariis apud Ja. dictum Granichs, Ny. Louterbach et Friczonem rusticos in Polst^a) III modios siliginis electae in annona decimali, quam a nobis et a nostra ecclesia tenent in feudum, assignare deberent cum omni iure recipiendos annis singulis perpetuis temporibus, impedimento quolibet retroiecto. Quos tres modios saepedicti de Schonenberg coram nobis libere resignarunt ibidem, et nos ipsos praedictis vicariis et eorum successoribus ad eorum vicarias cum concordi consensu totius nostri capituli in proprium dedimus et appropriamus harum serie litterarum, nostri sigilli robore signatarum. In cuius rei evidentiam amplioem litterae praesentes sigillo etiam capituli similiter sunt munitae. Datum et actum anno domini M^o.CCC^o.XXXVIII^o. in crastino sancti Johannis ante portam latinam, praesentibus strenuis militibus et viris Her. de Maltitz, Pe. de Slinitz, Jo. de Miltitz et Albero de Maltitz ac aliis quam pluribus viris idoneis et honestis.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit den wohl erhaltenen Siegeln des Bischofs und des Capitels an Pergamentstreifen.

a) Pulsitz, Par. Jahna.